





1. Melchioris Schmidij diss. de linguis sacris. 1685.  
 2. Joh. Bernh. Hahn diss. de appellatione lingue  
     Hebreæ, quia dicitur Sancta. 1712.  
 3. Joh. Henr. Höner diss. de voris quam Hebrei vocant  
     filia. 1673.  
 4. Valent. friderici diss. de filia voris. 1670.  
 5. Henri. Liedert diss. de mandato scribendi novum testam. 1710.  
 6. Joh. Henr. Lyr. diss. de usu lingue Syriæ. 1726.  
 7. ejusdem de historia lingue sanctæ. 1726.  
 8. Mich. Ghercke diss. de fama græcorum lingue. 1716.  
 9. Joh. Bernh. Hahn diss. exhibens decadem obser-  
     vationum philologicarum, e litteratura Græca, Græco-  
     tianorum philologicarum, e litteratura Græca, Obser-  
 10. ejusdem, de appellatione Lingue Græcorum, quia dicitur Sancta. 1715.  
 11. ejusdem, diss. exhibens decadem observationum  
     philologicarum e litteratura orientali. 1715.  
 12. Bernh. von Sarden diss. de loca, 1709.

EXERCITATIO THEOLOGICA

<sup>De.</sup>

29

VERA CARNIS  
CHRISTI EX MARIA  
ET PATRIBUS ORIGINE,  
Contra Anabaptistas,

<sup>Quam</sup>

DIVINO JUVANTE AUXILIO,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO atq. EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO FRIDERICO  
WILHELMO,  
REGNI PRUSSIÆ ET ELECTORATUS BRANDENB.

HÆREDF. &c. &c. &c.

CONSENSU FACULTATIS THEOLOGICÆ

Publicè ventilandam proponunt,

PRÆSES

FRIDERICUS DEUTSCH,

S. Theol. D. & Prof. Ordinar. Sec.

Et

RESPONDENS

GODOFREDUS SEHREN;

Beslacenſ. Pruß.

IN AUDITORIO MAJORI.

Anno MDCCII. die Decembris.

---

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

VIRIS

PRÆNOBILISSIMIS AMPLISSIMIS atq; EXCELLENTISSIMIS

DN. M. GEORGIO THEGEN,

Philosophiæ Pract. Professori Publ. Ordin. longè  
Celebrissimo

DN. M. LAURENTIO WEGER,

Lingvarum Orient. Professori Publ. Ord. famigeratissimo.

DN. M. PAULO RABEN,

Lingvæ Græcæ Professori Publ. Ordin. Clarissimo.

DN. M. DAVIDI BLÆSING,

Matheos Professori Ordin. Publ. Celeberrimo.

Patronis atque Praeceptoribus suis æternò venerationis  
cultu prosequendis.

Ut &

PLURIMUM REVERENDO atq; DOCTISSIMO

DN. GEORGIO JOACHIMO  
BORETIO,

Ecclesiæ Aweidensis Pastori vigilantissimo,

Patri, filiali obseruantia ad urnam usq; venerando.

Nec non

NOBILISSIMO atq; MULTO RERUM USU & PRUDENTIA  
CLARISSIMO

DN. FRIDERICO Schimmelpfennig/

Urbis Bartensteinensis Senatori atq; Camerario meritissimo,

Avunculo & quondam Tutori suo summoperè colendo,

Specimen hoc Academicum, cum omnigenæ felicitatis voto,  
partim pro insigni in studia sua propensione, partim pro  
exhibitis innumeris beneficiis,

Submisæ offert

GODOFREDUS SEHREN, R.

**C**ùm salutaris, & consolatione plenus, credituque necessarius est articulus de Incarnatione Iesu Christi, verèque ab ipsis assumptâ carne nostrâ; tam acriter ille ab adversariis divina veritatis hæreticis impeditus ac oppugnatus est. Meminit Irenæus Lib. I. aduersus hæret. XXII. Saturnini, qui Salvatorem innatum demonstravit, & incorporalem, & sine figurâ, putativè autem visum hominem; quod Tertullianus sic effert Lib. de præscript. aduersus hæret. XLVI. eum docuissè, *Christum in substantia corporis non fuisse*: quemadmodum & Basilides, eodem Tertulliano ibid. teste, affirmavit, *Christum missum venisse in Phantasmate, sine substantia carnis fuisse*: quod Epiphanius sic expressit hæret. XXIV. ἦν Χειρός, ὡς δοκεῖτο πορνέτος, de Christo, tanquam in specie qui apparuerit, eum putasse, ἔναι τὸν φαντασίαν τὸν Φαίνεθαι, μὴ ἕναν άθρωπον, μηδὲ αὐρηλίαν φέναν: *Esse eum phantasmam in eo quod apparuerit, non esse hominem, neque carnem accepisse*. Fuit postea Valentinus hæreticus, qui *Christum in substantia corporis nostri non fuisse* docuit, sed spiritale, nescio quod, corpus de cœlo deferentem, quasi aquam per fistulam, sic per Mariam Virginem transmeasse, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem: ceu Lib. citato refert Tertull. c.XLIX. qui & Ptolomæum & Secundum Hæreticos, præterea Heracleonem, paria cum Valentino sensisse, eodem cap. & Marcum quendam & Colorbasum, *Christum in substantia carnis fuisse negasse*, cap. L. annotat. Cap. LI. Cerdonem memorat, qui *Christum in substantia carnis negarit, in phantasmate solo fuisse pronuntiarit; nec omnino passum, sed quasi passum; nec ex virginem natum, sed omnino nec natum dixerit: quem secutus sit Marcion, & per eadem videntis blasphemia genera, Lucanus quidam nomine, Marcionis sectator atque discipulus*. Apelles vero itidem

<sup>2</sup>  
Marcionis discipulus, sed ab eō postea segregatus, Christum  
nēḡ in phantasmate dicit fuisse (pergit loc. cit. Tertullianus)  
sicut Marcion, nēḡ in substantia veri corporis, ut Evangelium  
docet, sed in eo quod ē superioribus partibus descenderet, ipso descen-  
su sidereum sibi carnem, & aēream contexisse; huncq; in resur-  
rectione singulis quibusq; elementis, que in descensu suo mutuata  
fuiſſent, in ascensu reddidisse, & sic diſpersis quibusq; corporis sui  
partibus, in cœlo Spiritum tantum reddidisse.

§. II. Dičti sunt hi hæretici, à Simone Magō primam  
hujus sui erroris originem habentes, ex impiā suā doxīσ, do-  
κῆται, οἱ δοξίσ τὸν Σωτῆρα ποφανερῷθα τύπλασον, Docetae, qui  
visione seu Phantasmate servatorem apparuisse existimārunt,  
quēmadmodum hos innuens Clemens Alexandrinus lib. VI.  
Stromatum loquitur, & lib. V l. hæreſes δόξα δογμάτων ιδιαζό-  
των, ex propriis dogmatibus memorans, Docetas vocat ab opini-  
one ac visione, secundūm quam, & putativē Christum ap-  
paruisse ii docuerunt. Dičti etiam sunt Anthropomorphi ab  
Ignatio in Epistola ad Smyrnæos, quā præmunit fideles στὸ  
τὸν Ἰησοῦν τὸν ἀνθρωπομέρφων, à bestiis anthropomorphis, ceu ver-  
tit vetus interpres Ignatianus, cuius Glossator tangi hæresin di-  
centium Christum phantasiā apparuisse & passum esse, non verè;  
hic annotavit, observante Jacobo Ulserio ad istum Ignatia-  
næ Epistolæ locum, atque id ređē, quandoquidem adversus  
hanc infidelium assertionem, quod putativē & non verè suscep-  
perit Christus ex virginē corpus, quodq; putativē passus sit, pro-  
lixè ibi agit Ignatius, monens eos hæreticos devitandos fu-  
giendosq;, atq; pro iis orandum, ut foris péniteant, siquidem si pu-  
tativē in corpore fuit Dominus & putativē crucifixus est,  
salutis nostræ ὀἰκουμενική in phantasiā fuisse, nosque verè non  
salvatos esse, consequatur: quod Cyrus Hierosolymitanus  
Catech. IV. Illuminatorum benè objecit, atque inde concludi  
affirmavit. Cave autem, hos Anthropomorphos conſun-  
das

das cum Anthropomorphianis seu Anthropomorphitis, qui Ignatii temporibus posteriores, in Aegypto exorti, simplicitate rusticâ Deum habere humana membra, quae in divinis libris scripta sunt, arbitrabantur; ceu lib. IIX. Orig. c. V. inquit Isidorus Hispalensis, & de iis Socrates lib. VI. H. Eccl. VII. & Sodomenus l. IIX. c. XI. referunt.

S. III. Vergente ad finem Seculô III. exortus fuit Manes Persa, insanus execranda Manichæorum Hæreseos auctor, qui innovatis Cerdonis & Marcionis dogmatibus, insuper & Christum docuit novissimis temporibus venisse ad animas, non ad corpora, liberandas; nec fuisse in carne verâ, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus prebuisse, ubi non solum mortem, verum etiam resurrectionem similiter mentiretur, ceu habet Augustinus Lib. de Hæres. ad Quodvultd. cap. XLVI. Idem de eô testatur Theodoreetus I. Hær. fabul. XXVI. dixisse Manetem, τὸν κύριον ἔτος ψυχὴν αὐτειληφένα, ὅπε σῶμα, ἀλλὰ Φωνῆς ὡς ἄνθρωπον, οὐδὲν ἄνθρωπον ἔχοντα; Dominum nec animam assumisse, nec corpus, sed hominem visum esse, cum humanum nihil haberet: crucem quoq; & passionem & mortem φαντασίᾳ θέσθε secundum apparentiam facta esse. Apollinaristas etiam de ipsâ Christi carne sic à rectâ fide dissensisse, memorat Augustinus dicto Librō de Hæres. cap. LV. ut dicarent, carnem illano & Verbum unius ejusdemq; substantie, contentioſissimè asseverantes, verbum carnem factum esse, b. e. verbi aliquid in carnem fuisse conversum atq; mutatum, non autem carnem de Mariae carne suscepitam. Gregorius Nazianzenus ad Neptarium Constantinopol. Episcopum Orat. XLVI. Apollinarii mentem sic ex quadam illius libellô exprimit, ut affirmasse illum dicat: μὴ δάκητον ἔνεγ τὴν σύριαν καὶ ὄμορφα τὸν τὸν μονογενῆ τῷ περσιχειόν τῆς Φύσις ημῶν, διὰ ἐξ δέχης τὸ τῷ τῷ συριάδον ἐκεῖνην Φύσιν ἔναι: nequaquam adventitiam esse carnem illam, ob naturę nostrę instaurationem

ab unigenito Filio secundum dispensationem assumtam, verum carnalem illam naturam in Filio jam inde à principio esse. Quod commentum ex illo Evangelii dicto eum probasse, addit Gregorius; quod ita habet (Joh. III.13.) Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de Cælo, Filius hominis: tanquam prius etiam quam ipse descendisset, filius hominis esset, ac descendens carnem suam secum advexerit, quam in cælis habebat, & ea sive luna & sol & stellæ & lumen, antecularem quandam & essentia sua insitam. Protulisse etiam Apostolicum dictum, à totò contextù corpore avulsum, ὃ δέ τε πάτερ καὶ θεός εἰς σπεῖραν, secundus homo de cælo (I. Cor. XV.47) ut reliqua de Apollinarii impietate à Gregoriō ibidem adjecta jam non exscribamus, nec ea prolixè repetamus, quibus Ambrosius lib. de Incarnat. Dominiæ sacram. c. VI. Apollinaris Sectam, tacitò licet ejus nomine, refellit asserentem, quia non ex Maria virgine, sed ex divina substantia passibilem sibi carnem fecerit Dei verbum, & non ex tempore corpus Domini esse susceptum, sed coeternum Dei verbo semper fuisse, & divinitatem & carnem Domini unus naturæ fuisse.

§. IV. Propullulavit hinc infelix Eutychianæ hæreseos propago, cuius inter cætera asserta & hoc fuit, quod carnem Christi ex virgine sumptam esse negaret, ceu autor est Fulgent. Resp. ad Quæst. IV. ad Ferrandum Diaconū, cùm ait: Fides nostra etiam discernitur ab Eutychis errore, qui licet incarnatum verbum negare non audeat, ipsam tamen verbi carnem cùm non fatur sumptam de carne virginis, mysterium summi prorsus evanescat Sacerdotis. Si quaras, undenam ergo carnis illius originem arcessiverit? respondet Gennadius Massiliensis de Dogm. Eccl. c. II. de Cælo eam Verbum attulisse secum putasse Eutychen. Ita enim loco citato Gennadius: *Natus est Dei Filius ex homine, & non ex hominem, i. e. non ex viri coitu, sicut Ebion dicit; sed carnem ex Virginis corpore trahens, & non de Cælo* se-

secum afferens, sicut Marcion, Origenes & Eutyches affirmant.  
Negat in phantasia, i. e. absq[ue] carne, sicut Valentinus afferit, neq[ue] de thesi (lege donat) i. e. putativè imaginatum, sed corpus verum.  
Atque expressè Vigilius initio libri tertii contra Eutychen, de  
hujus hæresi sic scribit: *Eutychiana hæresis in id impietas pro-  
lapsa est errore, ut non solùm verbi & carnis unam credat esse na-  
turam: verùm etiam hanc eandem carnem non de sacro Marie  
Virginis corpore assumptam, sed de celo dicat, juxta infandum  
Valentini & Marcionis errorem, fuisse deducetam.* Ita pertinaci-  
ter Verbum carnem adserens factum, ut per virginem, ac si aqua  
per fistulam, transisse videatur; nontamen ut de virgine aliquid,  
quod nostri sit generis, assumisse credatur. Similiter Theodo-  
retus IV. hæret. Fab. XIII. Eutychen exoletam jam olim Valen-  
tini hæresin rursus pullulare fecisse, atque corpus assumptum  
negasse affirmat. Nihil enim hominis proprium è Virgine cepisse  
Deum verbum: sed ipsum sine ullà mutatione conversum, & car-  
nem factum, transisse tantummodo per virginem. Ephræmius  
quoque Patriarcha Theopolitanus, apud Photium Biblioth.  
cod. CCXXIX. p. m. 794. Eutychen, quod prius afferuerat, è  
celo Christum carnem detulisse, afferentes, execratum esse; consub-  
stantiale verò nobiscum, sive consubstantialem Christi nobiscum  
carnem, confiteri detrectasse, annotat: utut ipse Eutyches in  
Synodò Constantinopolitanâ, Præside Flavianò, hanc sibi  
falsò impositam calumniam, nec se unquam dixisse, DEUM  
verbum carnem è celo detulisse, profesus sit; ceu Dionyssius  
Petavius obseruat Tom. IV. Dogmatum Theolog. lib. I. de  
Incarnat. cap. XIV.

§. V. Optandum verò esset, ut veterum illa hæreticorum  
deliria expirassent, & non nisi eorum in historiâ extaret me-  
moria: ast supersunt hodienum Anabaptistæ, à Mennone Si-  
monis communi nomine Mennonitæ dicti, &, quandoqui-  
dem in Belgio Fœderato ingentem cœtum faciunt, Anaba-

ptistæ Flandri appellari soliti, qui de ortu vel origine carnis Christi ita sentiunt, ut essentiam Filii Dei seu aeterni verbi divinam, transubstantiatam sive mutatam esse in carnem dicant, eamq; non ex Mariae Virginis carne ac sanguine productam, sed in Marie uterum, ex caelesti aut increata aliquâ materiâ delatam, & quidem sic, ut Filius Dei manserit quod erat, & factus fuerit quod non erat. Refert hanc istorum sententiam Simon Episcopius lib. IV. Instit. Theol. Sect. V. c. IIX. ubi & difficultates, quibus ii se implicant, si modum illum transubstantiationis tueri velint, hasce enarrat: quod alterutrum necesse sit ut fateantur se credere, aut essentiam Filii divinam non esse eandem quam Patris essentiam, quod tamen videri nolunt credere: aut si eadem est essentia Filii, que est Patris, per transubstantiationem essentie Divinae Filii, Patris quoq; essentiam in carnem transubstantiatam fuisse, ac proinde mortuo Filio Patrem quoque mortuum fuisse, totumque mundum sine Deo vivo per triduum fuisse, quod fateri erubescunt. Deinde, manifesta (ait) Contradictio in adjecto est, id quod transubstantiatur, manere idem quod erat, & fieri quod non erat. Tertiò (pergit) naturæ rei repugnat, ex merè immateriali essentiâ fieri materiam aut materialiam essentiam, ex impossibili possibile, ex immortali mortale, ex spiritu carnem, sanguinem & ossa. Quartò (addit) necesse est ut dicant, transubstantiatum esse Filium Dei partim in animam viventem, immortalem & incorruptibilem; partim incarnem & sanguinem mortalem & corruptibilem, quia Filius Dei homo factus est, homo autem consistat animâ & corpore. Aut si eum non nisi in carnem mutatum fuisse volunt, ut tum sola caro Filius Dei manserit, & ista Filii Dei caro aut fuerit sine ullo vivô spiritu, aut carnis ejus Rector fuerit anima carni superinfusa. Quæ ipsò judice difficultates sunt inextricabiles.

§. VI. Fuit inter Mennonem Simonis, & Martinum Mironium, de incarnatione Christi disputata Wismariæ An. 1554.

Con-

Controversia, quæ Originem carnis Christi tangebat; nec inconcinnè id Anabaptisticae Theologiae πεπονιψεύδεται propteræ dictum est à Johanne Cloppenburgio Disp. IIX. Gangr. Theol. Anabaptist. Thes. I. quòd ea negarit veram ex hominibus carnis Christi originem, ad quam ἐπεσδέξια insecura sunt alia, quæ fidem orthodoxam de Unitate essentia Dei ac Trinitate personarum salvam esse non sinebant, quandoquidem quidvis potius sibi censurunt movendum Anabaptiste, quam ut cogitarent de palliis, ac faterentur veram carnis Christi ex Virgine Maria Originem: quæ Cloppenburgii sunt Disput. I. Gangr. Theol. Anabapt. Thes. IV. Fridericus Spanheimius quoque diatribe historica de origine, progressu, fœtis ac nominibus Anabaptistarum, §. XXII. Melchioris Hoffmanni meminit, qui Argentinæ ingentem discipulorum turbam post se traxit, & cui etiam eorum, qui in inferiori Germaniâ succrevère, Anabaptistarum tradux adscribi solet; hujusq; inter præcipua dogmata & hoc memorat, *Verbum non assumisse carnem ex Maria Virgine nec ex carne ejus, peccato quippe infecta & maledicta: Christumq; unam tantum naturam habuisse*. Confer. Johannes Wigandus de Anabaptismo p. 18. & 36. seqq. Johannes Gerhardus Exeg. L. de Persona & Officio Christi §. 88. & Joh. Hornbek Summæ Controvers. Religionis L. V. de Anabaptismo p.m. 379. ubi ex quinque articulis maximè innotuisse Anabaptistas annotat, nimirum *ppugnati Pedobaptismi, defensi Anabaptismi, negati Christi ex Matris substanciali incarnationis, interdicitæ ipfis omnis generis juramenti, & officii Magistratus*, utut alia illis nequidquam leviora etiam assuerint, quæ ibi videri possunt.

§. VII. Obviam itum est istorum hominum errori ab aliis hic rectiora sentientibus, qui in Scripturâ sacrâ Evangelistarumque historiâ, Jesum Filii hominis appellatione insigniti passim, hominemque disertè vocari urserunt; adversus quam frequentatam in Evangelio Jesu Christi appellationem, cùm

eam

eam suæ hæresi officere viderent Anabaptistæ, mirum est  
quantopere torquendæ veritati ii homines indulserint. Nam  
alius Christum affirmavit factum Filium hominis per tra-  
ditionem in mortem; esseque filium hominis dictum, non  
quod ex hominibus homo sit, sed quod ex amore homi-  
nibus donatus sit. Alius Christum antequam factus est  
homo, genitum fuisse ait per fidem, atque eo pacto fuisse  
filium hominum istorum, qui faciebant voluntatem Pa-  
tris cœlestis, manifestâ nimis detorsione verborum Chri-  
sti Marc. III. v. 33. 35. quasi illic stabilitâ solâ cum homini-  
bus cognitione, causâ regenerationis, omnem cum ma-  
tre ipsâ cognitionem secundum carnem ejurârit: ceu Cloppen-  
burgius citatæ supra Disput. IIX. Thes. 3. annotavit. Præ-  
terea, cum veram ac in scripturis determinatam carnis Chri-  
sti ex Mariâ Virgine originem admittere nollent Anabapti-  
stæ, ipsi quid definirent, unde, ubi, aut quando originem  
suam cepisset caro Christi, an in coelo, an extra cœlum, ne-  
sciebant: evidenti omnino argumento, eos Spiritu vertigi-  
nis agitari, eò quod veritati subscribere nollent. Pronun-  
ciant enim alii cum Mennone, genitam à Patre *ex Pari substantiâ*, & crassius, *ex semine sui corporis*: Menno Apol. contra  
Micronium, fol. 94. 95. alii ex semine verbi æterni, alii ex Spi-  
ritu Sancto tanquam seminali materia. Quâ concordi discor-  
diâ negant cuncti Mennonitæ, Christum esse verum Mariæ  
filium, aut Mariam Christi Matrem; suntque qui asserunt,  
Christum habuisse secundum carnem suam Patrem in coelis,  
sed in terris fuisse sine Patre & sine Matre: ceu haec rursus  
Cloppenburgius dictæ disput. Thes. XI. & XII. memorat.

§. IIX. Objecta etiam sunt hisce divinæ veritatis adver-  
sariis loca Scripturæ, quæ docent Christum *semem mulieris*  
Gen. III. 15. *factum γενέσεων ex muliere*, Gal. IV. 4. *ex è natum*  
*γενέσεων* Luc. I. 35 utq; fuerit καρπὸς τῆς κοιλατῆς fructus ventris

Ma-

Mariæ Matris ejus v. 42. quin & ex Patribus, ex Semine David καὶ  
οὐρανα, quod ad carnē, Rom. I, 3. IX, 5. solis radiō (quod dici solet)  
scripta, atque clariora, quam ut à Mennonitis offuscari, ac  
confitīs eorum expositionibus pervertī potuerint. Quod  
verò ex Genealogiā Christi, & à Matthæo ab Abrahamō &  
à Lucā ad Adamum ductā, pro confirmandā verā humanā  
origine carnis Christi, Mennoni ejusque sequacibus objectum  
est, id quomodo elidi ab hisce fuerit allaboratum, operæ  
prestium videtur annotare. Est Mennonis exceptio in Con-  
fess. contra Joh. à Lasco, texuisse Evangelistas genealogiam  
Christi ex Patribus, non causa carnis, sed causa regenerationis.  
Verū, id nullā cum specie veri dici potest de Luca, qui  
Patiē omnes & ex illis Christum in primo Adamo, ut in ca-  
pite & stirpe censem, cùm in causa Regenerationis omnes de-  
buerint censeri in Christo secundo Adamo, ut capite & stirpe  
illius πατριῶν seu cognitionis, quæ nominatur in Cœlo & in  
terra, Eph. III 15. Neque Matthæus dici potest Genealogiam  
Christi texuisse causa regenerationis, quamvis initiō factō ab  
Abrahamō Patre creditum, quia in Filiis Abrahæ, & Patri-  
bus ex quibus est Christus, recensetur à Matthæo Roboam,  
Achaz, Amon, Jechonias, omnes impii; ceu ad dictam ex-  
ceptionem benè responderet Cloppenburgius Disp. IX. Gangr.  
Theol. Anabapt. Thes 2. & 3. Qui & Thesi VI. annotat, non  
posse non causā carnis saltem hoc fieri, quod Christus singu-  
lariter dicatur ortus ex unā, non ex aliis tribubus. Nimirum  
ē tribu Juda exortum esse Dominum nostrum, ait Apostolus  
Ebr. VII, 14. quod aliter explicari intelligique non potest,  
quam Majores, quibus καὶ οὐρανα Christus originem debet, ex  
tribu Juda censeri, cui hoc αἰχματα, hanc prærogativam con-  
cessum iri, Jacob Patriarcha prædictis Gen. XLIX, 10. cum re-  
generationis causam si spectes, omnium ex singulis tribubus  
fidelium, per fidem in Christō fuerit nativitas, aut etiam  
Christi in iis.

S. IX. Majoris momenti est exceptio altera Mennonitum, quod omnes qui satagunt demonstrare, ex Patribus originem carnis sumfissę Christum, hoc faciant contra id, quod super hac re ab Evangelistis scriptum est: Quandoquidem Christus non est ex Josepho, quem Christi Patrem nominant in Genealogiā: ex quō consequens est, nec ex aliis Patribus Christum descendisse. Resp. Cūm Genealogiis istis nunquam contradic̄tum sit à Judæis illius temporis, nec etiam Evangelista Matthæus ac Lucas eas texturi fuissent, si iisdem contradici potuisse scivissent, utique juxta eos indices, Josephum ex Gente ac familiā Davidis esse agnatum fuisse, cui desponsata fuit Maria ex Lege Num. 36. 8. quā tenebatur unusquisq; in suā familiā uxorem ducere. Itaque cūm Census ab Augusto imperatus juxta familias instituendus esset, eoque quīvis in originariā gentis suā urbe describendus; hōc fine Joseph Bethlehemum se contulit, *λαός τὸ ἔνας ἀνὴρ οὗτος οὐκ οὐδεὶς Δασδό*, Luc. II, 4. cum desponsata sibi Mariā, cuius filius ibidem natus illicē in easdem tabulas Genealogicas relatus fuit, teste Justino Mart. Apol. 2. & Tertull. L. IV. contra Marcion. c. VII. Utut ergō ex Josephō, naturali generationis lege non fuerit Christus, quare nec Evangelista hunc ejus filium in dictā Genealogiā vocant, sed Matthæus l. 16. *Jacob genuisse ait Joseph virum Marie, ex quā natus est Iesus, qui dictus est Christus;* & Lucas III. 23. *Iesum ὄντα ως ἐποιηθέντα γινόμενον, qui erat, ut existimatatur, seu opinione vulgi, filius Joseph,* Heli filium, h.e. ex Maria filia nepotem fuisse, siquidem Lucas Mariæ genus recensendum sumvit, quemadmodum Matthæus Josephi: tamen exinde ē Patribus Christum non descendisse, malè infertur, cūm recensitā Mariæ apud Lucam genealogiā, aut etiam Josephi apud Matthæum, qui Joseph Mariam cognatione in eadem domō ac familiā contingebat, Jesu Messiæ Majores ac Patres eos fuisse intelligatur, ex quibus Maria oriunda, *οὐκ οὐδὲ*

λόν ὁ Χριστὸς τῷ καὶ στόχῳ, Rom. IX, 5. Quamvis enim ex communi Iudeorum Canone משבורת אם אינה משבורת *familia* matris non sit *familia*, ex quā genus derivetur, aut ducatur; id tamen locum habet, ubi quoq; Pater proximus est, quō Jesus omnino caruit, ut vel ex maternō genere censendus sit, vel omne illi genus negandum: quod absolum, cūm huic Mariæ filio, titulō successionis hæreditariæ, eoque, quod filius David esset, thronus David Patris sui promissus ab Angelo conceptionem nunciante, Luc. I, 32. quod jus per solam matrem ad ipsum derivandum, qui Patrem proximum non habebat, at ex Davide oriundos Majores habebat, ut *Mathæus Josephi genus per Salomonem à Davide deducere, Lucas verò Mariæ genus per Nathanem alterum Davidis Filium ad eundem Davidem referre posset*, ceu hanc rationem conciliandi utriusque Evangelistæ, tutissimā judicat Fridericus Spanhemius Dubiorū Evangelicorum Part. I. dub. XX. XXI. XXII. §. XIV. & seqq.

§. X. Quæsiverunt insuper ii homines suæ sententiae præsidium in aliquibus Scripturæ S. locis, quos ad sensum suæ theseos contra veram carnis Christi in Mariâ virgine conceptionem detorserunt: nempe *ex cælo descendisse filium hominis, Joh. III. 13. & 31. esse secundum hominem Dominum è cælo, I. Cor. XV. 47.* (quibus locis & Apollinarium usum esse, ex Gregoriō Nazianzenō supra §. III. annotavimus;) *esse panem illum qui de cælo descendit, Joh. VI. atque à Patre exivisse, Joh. XVI. 28.* Sed vero non significari in hisce coelestem s. è cœlis carnis Christi originem, potius indigitari divinitatem, cum quā in τῷ λόγῳ unione personali unita est humana natura, ac hujus de Spiritu Sancto & obumbratione Altissimi concepta originem, sumus perswasissimi; secuti non priyatam (quemadmodum hi Anabaptista) sed publicam interpretationem, juxta illud Vincentii Lirinensis in Commonit. ut Propheticæ & Apostolicæ interpretationis lypæ secundum ecclesiastici & catholici

*sensus normam dirigatur. Complexus est hosce locos Hilarius Pictaviensis L.X. de Trinitate, ubi ait: Virgo non nisi ex sancto Spiritu genuit quod genuit. Et quamvis tantum ad nativitatem carnis ex se daret, quantum ex se feminine edendorum corporum susceptis originibus impenderent: non tamen Jesus Christus per humana conceptionis coadiuit naturam. Sed omnis causa nascendi inventa per Spiritum, tenuit in hominis nativitate quod Matris est, cum tamen haberet in originis nativitate quod Dei est. Hinc igitur maximum illud ac pulcherrimum suscepti hominis Sacramentum Dominus ipse ostendit dicens: Nemo ascendit in celum, nisi qui descendit de celo, Filius hominis qui est in celo. Quod descendit de celo, concepta de Spiritu originis causa est. Non enim ex se (i.e. suâ vi & habitudine) corpori Maria originem dedit: licet ad incrementa partum, corporis omne quod sexus sui naturale est, contulerit. Quod vero hominis filius est, suscepit in virginie carnis est partus. Quod autem in celis est, natura semper manentis potestas est: quae initia condit ag, per se carne non se ex infinitatis suæ virtute intra regionem definiti corporis coarctavit, Spiritus virtute ac verbi Dei potestate in forma servi manens, ab omni intra extram, cœli mundi circulo cœli ac mundi Dominus non absuit.*

§. XI. Pergit & alterius ex Apostolô loci mentionem facere, dum addit: *Absolutè autem beatus Apostolus etiam hujus inenarrandæ corporeæ nativitatis Sacramentum locutus est dicens: Primus homo de terra limo, secundus homo de celo. Hominem enim dicens, nativitatem ex virginie docuit: quæ officio uia maternæ, sexus sui naturam in conceptu & partu hominis executa est. Et cum ait, secundum hominem de celo, originem ejus ex supervenientis in virginem sancti Spiritus aditu testatus est. Atq. ita cum & homo est, & de celis est, hominis hujus & partus à virginе est, & conceptus ex Spiritu est. Allegat quoque Dominum hujus suæ nativitatis mysterium pandenter, cum sic locutus est: Ego sum panis vivus qui de celo descendit: ut per hoc quod descendens de celis panis*

*nis est, non ex humanâ conceptione origo esse corporis existimaretur, dum cœlestē esse corpus ostenditur.*

§. XII. Simili ratione locum Apostoli exposuit Tertullianus Lib. de Carne Christi c. 8. scribens: *Legimus planè, primus homo de terra limo, secundus homo de celo. Non tamen ad materia differentiam spectat, sed tantum terrenæ retrò substantia carnis primi hominis, i.e. Ade, cœlestem de Spiritu substantiam opponit secundi hominis, i.e. Christi. Et adeò ad Spiritum, non ad carnem cœlestem hominem refert, ut quos sic comparat, constet in hac carne terrenâ cœlestes fieri, spiritu scilicet. Quod si secundum carnem quoq. cœlestis Christus, non compararentur illi non secundum carnem cœlestes. Si ergo qui sunt cœlestes, qualis est Christus, terrenam carnis substantiam gestant: hinc quoq. confirmatur ipsum etiam Christum in carne terrena fuisse cœlestem, sicut sunt qui ei adequateantur. Id vult, comparari nos Christo, qui ortu ab Adamo ducto terreni sumus, sed Spiritu vivificante resuscitabimur, ut in corpore spirituali, i. e. necessitatibus naturalibus non obnoxio, nec necessitat moriendi amplius subiecto, virtute spiritus animati vivamus, quemadmodum Christus de Spiritu sancto conceptus, ipse quidem vitam naturalem vixit, sed in se habuit spiritum vivificum, per quem vitam sibi met ipsi dedit immortalem. Probat id Tertullianus, non secundum carnem Christum cœlestem fuisse, eamque ex celo delatam habuisse, inde ex Apostolo; quia nos non secundum carnem cœlestes Christo comparamur, adeoque & ipsum in carne nobis simili ac verè humanâ cœlestem fuisse oportet, quoniam (ceu dictum) cœlesti Spiritus sancti virtute conceptus est, quemadmodum nos à primô Adam in hanc vitam animalem geniti, per secundum Adam, i. e. Christum Dominum de celo, vivificâ ipsius virtute ac Spiritus potestate in vitam immortalē resuscitabimur: ut proinde hinc, quō sensu dictum hoc Apostoli cuperit Tertullianus, clare liqueat.*

§. XIII. Augustinus L. I. de Pecc. meritis & remiss. XXXI. locum Johannis III. egregiè, eō, quō insinuavimus §. X. modò exposuit, sic scribens: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit filius hominis qui est in cœlo.* Quamvis enim in terrâ factus sit filius hominis, divinitatem tamen suam quâ in cœlo manens descendit in terram, non indignam vensuit nomine filii hominis, sicut carnem suam dignatus est nomine filii Dei, ne quasi duo Christi ista accipiantur, unus Deus, & alter homo, sed unus atq; idem Deus & homo: Deus, quia in principio erat Verbum, & Deus erat verbum: homo, quia verbū caro factum est, & habitavit in nobis. Ac per hoc per distinguitam divinitatis & infirmitatis, filius Dei manebat in cœlo, filius hominis ambulabat in terra: per unitatem vero personæ, quâ utrāq; substantia unus Christus est, & Filius Dei ambulabat in terra, & idem ipse Filius hominis manebat in cœlo -- ac sic filius hominis qui erat in terra per carnis infirmitatem, idem ipse in cœlo per participatam carni divinitatem. Illis germina habet August. Serm. XIV. de Verbis Apostoli, quibus consentientia quoq; occurruunt apud Fulgentium Rusensem L. II. ad Trasimundum Regem c. 17, aliosque; ut quō sensu hoc Salvatoris dictum p̄i Veteris Ecclesiæ Doctores intellexerint, rursus liqueat.

§. XIV. Locum Joh. XVI. 28. Veterum aliqui de æternâ divinâque Filii à Patre generatione, quæ egredionis nomine ab æternō, apud Micheam V. 1. venit, exposuerunt; ceu ex Hilarii Pictav. L. VI. de Trinitate constat: *Exisse ex Deo quid sit requiro.* Non utiq; dici potest, id ipsum ex Deo exire, quod & venisse, nam utrumq; significat: quoniam à Deo exiui & veni. Et ostendens quid esset, à Deo exiui, & quid esset, & veni, continuo subiecit: *Nec enim à me veni, sed ille me misit.* Non à se sibi esse originem docuit, cum ait: *Nec enim à me veni.* Et rursum se ex Deo exisse, & ab eō missum esse testatur -- *Exisse, ad incorporalis nativitatib; retulit nomen.* -- A Deo, ait, exiui, ne in eo alia quam nativitatib; natura esse existimaretur: cùm exire à Deo i. e. ex nativitate subsistere, quid aliud quād Deo pos-

33

posit? Et à Patre, inquit, veni in hunc mundum. Ut exitio illa à Deo  
nativitas significata esse intelligeretur ex Patre: à Patre se in hunc  
mundum profectus est venisse. Alterum itaq; in dispensatione, alter-  
rum in natura est. Nec patitur exitionem adventum existimari,  
cum post exitionem à Deo, adventum commemoret à Patre. A Patre  
enim venisse & ex Deo exisse, non est significationis ejusdem: &  
quantum interest inter nasci & adesse, tantum à se uterq; sermone di-  
scernitur; cum aliud sit à Deo in substantia nativitatis exisse, aliud  
sit à Patre in hunc mundum, ad consummanda salutis nostra sacra-  
menta venisse. Similiter Ambrosius L. I. de fide ad Gratianum  
Augustum c. 7 istam phrasin accepit, scribens: Crede quia à  
Deo exiit filius, ut ipse testatur dicens: Ex Deo processi & veni. Et  
alibi: à Deo exiui. Qui ex Deo processit, & à Deo exiit: nihil  
aliud potest habere, nisi quod Deiest. Hoc si admittimus, locus  
iste ad humanæ JESU Christi naturæ originem prorsus non fa-  
cit, & imperitè ab adversariis allegatur: sin verò etiam con-  
cedamus, hic de missione Filii in mundum à Patre agi, ut à  
Patre exire & ventre in hunc mundum, hoc sit mitti, ceu Augustinus  
L. III. de Trinit. V. exposuit; rursus tamen id causam ad-  
versariorum non juvat, cum missio illa à Patre denotetur, quæ  
sine Spir. Sancto esse non potuit: non solum quia intelligitur Pater  
cū meum misit, i.e. fecit ex semina, non utiq; sine Spiritu suo fecisset,  
verum etiam, quod manifestissimè atque apertissimè in Evangelio  
dicitur Virginis Mariae quarenzi ab Angelis, quomodo fiet istud? Spi-  
ritus S. supervenientie, & virtus altissimi obumbrabit tibi; Et  
Mattheus dicit, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. ceu  
loco citato Augustinus, qui legi ibidem meretur.

S. XV. Sunt alia, quæ isti homines pro suâ sententiâ ur-  
gere soliti sunt, argumenta: veluti in primis hoc, quod Ver-  
bum caro factum esse dicitur Joh. 1. 14, ubi factum esse, non si-  
gnificare aliud dicunt, quam mutatum esse in carnem: atque  
sic transubstantiatum esse Verbum in carnem, non verò hanc  
assum-

assumptam ex Mariæ virginis substantia & sanguine. Sed facilis est responsio, dupliciter id nimurum intelligi posse, cùm hæc substantia dicitur fieri illa, vel mutatione, sive conversione unius in alteram, aut per naturam, aut per miraculum; vel assumptione seu accessione alterius substantiæ seu naturæ, ita ut ex utrâque integrâ & immutatâ unum subiectum existat, quomodo Gen. II. v. 7. de Adamo protoplasto dicitur, וְיָבוֹא אָדָם לְנֶפֶשׁ חַיָּה, & fuit seu factus est homo in animam viventem, eò quod animam viventem acceperit divinitus ipsi additâ, inque unam hypostasin cum ipso conjunctam: quod exemplum commodissimum esse, noster Chemnitius benè annotavit lib de hypost. naturarum in Christo unione c. IX. eumq; locum manifestè ostendere, sicut verbum ἐγένετο dicitur de unione corporis & animæ in homine, codem etiam modò usurpari de unione divine & humane nature in Christo, sine conversione seu confusione. Ac meretur omnino hic adscribi doctiss. Johannis Pearsonii Cestriensis in Anglia Episcopi, Exposit. in Symbolum pag. 161. observatio, in ea verba quibus monuerat, non adeò inhærendum proprietati distinctionis, quando scriptum, Verbum caro factum est, ut proprietas utriusque & Verbi & carnis destruatur. In istâ propositione (ait) οὐδὲ τοπεῖ ἐγένετο, mira ad urgendum adhuc est vis, ab hominibus contrarie sententiae, diversög, sine, quod verbum ἐγένετο spectat; Socinianis id probare allaborantibus, quod alium sensum habere non posse, quām simpliciter FUIT, Verbum fuit caro: Anabaptistis Flandris ad summum sensum τὸ factum est extendentibus, verbum factum est caro. In confessio est, quod verbum γένεσις in usu græca lingue capax sit utriusq; interpretationis: notum etiam est, quod antiquissimi interpres in suis versionibus discrepant: Syrus enim vertit, בָּרָא הוּא & verbum caro fuit: Vetus Latinus: Et verbum caro factum est. Negari non potest, in Scripturis saltim id promiscuè in utroq;

17

utroq; sensu usurpatum esse. Eademq; verus vulgata versio in locis aliquibus id reddidit, quemadmodum Syrus hic: Matth. X. 16. Υπεδει ἐν Φρέ-  
νιοι ὡς ὁ ὄφεις, εποτε ergo prudentes sicut serpentes: Et 25. εἰπεν δὲ  
τῷ μαθητῇ Ἰωάννῃ ὡς ὁ διδάσκαλός τοι, sufficit discipulo ut sit sicut  
Magister ejus. Unde id evidens est, non posuisse eos vim in significacione  
verbi γίνεσθαι, sed in circumstantia rei in qua effer usurpatum. Quic-  
quid sit, neutra harum interpretationum probat alterutram istarum op-  
nionum. Nam, si id agnitum fuerit, verbum fuisse carnem, Et id jam  
ante offensum, ac presuppositum per Johannem, in antecedente discursu,  
quod verbum habuerit prius *Essere*, quod antecessit ipsius esse carnem;  
hoc sequitur, quod is, qui erat ante verbum, Et non erat caro, si dein-  
ceps fuit caro, debeat factus esse talis. Et sic Socinianorum corruit ob-  
servatio. Rursus, si qui factus est caro, erat verbum, Et postquam ita  
talis factus, adhuc erat verbum, quemadmodum profecto is erat, Et adhuc  
idem est; ipsius factum esse carnem, evacuare haudquam potest  
eam naturam, in qua is ante subsistebat. Et sic Flandrorum interpre-  
tatio nullius est roboris. H. I.

6. XVI. Urgere etiam hī homines id solent, quod Christus longè alio-  
modū conceptus & natus esse dicatur, quām cōteri homines; nimis  
conceptus ex Spiritu sancto & natus ex virgine; quā duo cum nullō homi-  
ne alio habet communia. Unde inferunt, diversæ à nobis naturæ ac  
essentiæ esse Christum: & tō conceptum esse ex Spiritu S. (sive quod  
eodem recidit, de Spiritu sancto,) amplius quid arguere, quām peculiarem  
concipendi & nascendi modum; nimis hoc, quod ex Substantiâ divi-  
nitatis, seu ex essentiâ Spiritus Sancti, caro Christi sit propagata ac for-  
mata. Verū, diversus modus conceptionis & nativitatis, non facit  
carnem Christi diversæ à nobis naturæ ac substantiæ est; siquidem & A-  
dam sic ejusdem nobiscum speciei aut essentiæ non fuisset, qui à Deo  
formatus & ex terrâ productus est, secus quām cōteri homines; nec Eva  
ex costâ Adami formata, ejusdem nobiscum speciei aut naturæ. Succur-  
ritque hīc, quod Anselmus L. II. cur DEus homo c. 8. de quatuor modis  
scripsit, quibus DEus facere hominem potest; Videlicet, aut de viro Et  
de fæmina, sicuti assiduus usus monstrat: aut nec de viro, nec de fami-  
na, sicuti creavit Adam: aut de viro sine fæmina, sicut fecit Eam;  
aut de fæmina sine viro, quod hucusque nondum fecerat. Ita igitur  
bunc quoque modum probaret sue subjacere potestati, Et ad hoc ipsum

*opus dilatum esse; nihil convenientius, quam ut de feminâ sine viro as-  
sumeret illum hominem quem querimus.* Præterea, præpositio ex non  
semper aut necessariò materiam notat, ex quâ aliquid sit; sed causâ  
quoque efficientem, seu vim ac efficacem operationem; quemadmodum  
Ambrosius L. II. de Spiritu S. c. V. verè annotavit, ubi probat ipsum  
secundum carnem Dominum, Spiritu in virgine superveniente genera-  
tum esse, ac Spiritum Creatorem, Dominicæ incarnationis antorem co-  
gnosci. *Quis enim dubitet (ait) cum in principio Evangelii habeas, quia  
Christi generatio sic erat: cum desponsata esset Maria Joseph, antequam  
convenirent, inventa est in utero habens ex Spiritu sancto.* Nam licet  
pleriq[ue] habeant, de Spiritu, Græcus tamen unde transfulerunt Latinis,  
ex πνευματικά dixit, hoc est, ex Spiritu sancto. Quod ergo ex ali-  
quo est, aut ex Substantia est aut ex potestate ejus. Ex substantia,  
sicut filius qui ait, ex ore altissimi prodix: sicut Spiritus qui à Patre pro-  
cedit. De quo dicit Filius, ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Ex  
potestate autem, sicut illud est: Unus Deus Pater ex quō omnia. Quomodo  
ergo in utero habuit Maria ex Spiritu sancto? si quasi ex substantia, ergo  
Spiritus in carnem & ossa conversus est. Non utiq[ue]. Si quasi ex opera-  
tione & potestate ejus virgo concepit, quis neget Spiritum creatorum?  
Urget Ambrosius, & recte, quoddam quasi ex substantia Spiritus conceperit  
Maria, Spiritum in carnem & ossa conversum esse dici debere, (quod ab-  
surdum,) quandoquidem Christus filius Mariæ, filius hominis in humana  
carne conspicuus factus est: non autem nisi Spiritum esse decuisset. Haud  
quaquam ergo ex substantia divini Spiritus concepit Maria, sed ex operatione  
& potestate ejus, que in eō se exeruit, quod virtus hæc Altissimi Mariam ob-  
umbrans, adspiraverit carni & sanguini Mariæ fecunditatem immediatā  
sui operatione, cui ἡγεμόνη άγιασμός, sanctificatio miraculosa facta  
in utero juncta fuit, unde & id, quod natum ex Maria sanctum, Dei Filius  
appellari debebat, Luc. I, 35. facta nimurum ab eodem Spiritu Sancto, in  
ipsò statim conceptionis articulo, ἐνώπιον Θεοτοπίᾳ seu personali unionē  
naturarum, divinæ & humanæ, in Christo. Atque sic jam solutis præci-  
puis adversariorum, cum quibus modò nobis negotium intercessit, argu-  
mentis, pedem figimus, Deoque misericordi ac Salvatori nostro gratiis  
decenter actis, finimus.


00 A 6445



56.

R 1017 FL 96.





EXERCITATIO THEOLOGICA  
VERA CARNIS  
CHRISTI EX MARIA  
ET PATRIBUS ORIGINE,  
Contra Anabaptistas,  
Quam  
DIVINO JUVANTE AUXILIO,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO FRIDERICO  
WILHELMO,  
REGNI PRUSSIAE ET ELECTORATUS BRANDENB.  
HÆREDE. &c. &c. &c.  
CONSENSU FACULTATIS THEOLOGICÆ  
Publicè ventilandam proponunt,  
P R A E S E S  
FRIDERICUS DEUTSCH,  
S. Theol. D. & Prof. Ordinari. Sec.  
Et  
RESPONDENS  
GODOFREDUS SEHREN,  
Beslaciens. Pruss.  
IN AUDITORIO MAJORI.  
Anno MDCCII. die Decembris.  
REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.